Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26089
Copyright: Admont, Benediktinerstift



festiuitas dominice passionis. que nos inter exultationes
spiritualium gaudiorum silere non patitur. quia et si difficile est de
eadem re sepius digne apteque disserere non est tamen liberum
sacerdoti in tanto diuine misericordie sacramento fidelis populi au
ribus subtrahere sermonis officium. cum ipsa materia ex eo
quod est ineffabilis fandi tribuat facultatem. nec possit de
ficere quod dicatur. de qua numquam potest satis esse quod dicitur.
Succumbat ergo humana infirmitas glorie dei et inexplicandis
operibus misericordie eius imparem se semper inueniat. Laborem sensus. here
amus ingenio. deficiamus eloquio. Bonum est ut parum nobis
sit. quod et iam recte de domini maiestate sentimus. Dicente
enim propheta. querite dominum et confirmamini. querite faciem
eius semper. nemini presumendum est ut totum quod querit inuenerit.
ne desinat propinquare qui cessauerit accedere. Quid autem
inter omnia opera dei in quibus humane admirationis fatiga
tur intentio. ita contemplationem mentis nostre et oblectat
et superat. sicut passio saluatoris. De cuius omnipotentia
que ei cum patre unius et equalis essentie est quoties ut
possumus cogitamus. mirabilior nobis fit in deo humilitas
quam potestas. et difficilius capitur maiestatis diuine exina
nitio. quam seruilis forme in summa prouectio. Sed multum
nos ad intellectum iuuat quod licet aliud sit creator aliud
creatura. aliud deitas inuiolabilis. aliud caro passibi
lis. in unam tamen personam concurrit proprietas utriusque sub
stantie. ut siue in infirmitatibus siue in uirtutibus eidem